DE PUBLICA MEDICINA MAXIMUM UTILITATIS IN HUMANAM...

Giovanni Battista Cerutti

DE

PUBLICA MEDICINA

MAXIMUM UTILITATIS

IN HUMANAM SOCIETATEM

ADFERENTE

Oratio

QUAM

JOANNES BAPTISTA CERUTTI

PATAVINUS

AD MEDICAM LAUREAM OBTINENDAM

PROFEREBAT

PATAVII

EX TYP. CRESCINI

1846

OPTIMIS PARENTIBUS

AMORIS SIGNUM

FILIUS OBSEQUENTISSIMUS

Cuivis una secum pensitanti ac revolventi scriptorum sententias, qui de hominum societate finem consiliumve perquisiverunt nobisque mandarunt, praesentesve commendant, quam facillime compertum erit, hac potissimum ratione vel coaluisse homines, vel hoc tantum adjumento satisfacere sibi dignitative suae; ut nempe junctis plurimorum viribus, quas conjunctione atque adhortamentis in unum protendunt et adaugent, sua uniuscujusque tueantur jura ac vitae commoda ampliora firmioraque procurent: quod omnium praestantissimum humanoque generi adcommodatissimum consilium indubie, dempta publica valetudine assequi nequirent. Atque hoc animi judicium semper insitum fuisse clarissimis viris sapientissimisque, communem nempe prosperitatem haudquaquam dari, ubi incolarum frequentia absit, neque regionem incoli peropportune, nisi quisque debita valetudine perfruatur, historia perdiscimus, quum perlegamus Moysen, Solonem, Numam aliosque inter legislatores de publica hygiene praecepta tradidisse; quum edoceamur, idem ab Justiniano, idem a pollentibus Cal-

lissis, idemque inter imperatores mediae aetatis a Carolo Magno factitatum; ac postremum quum praesenti tempore conspiciamus, nullam fere extare regionem, provinciamve alicujus nominis et momenti, ubi non reges principesve atque potestates ad communem civium prosperitatem augendam, ad proferenda effundendaque amplissima munificentia beneficia et commoda; quaevis novo incitamento singularique perfectione procuraturi, et animum ingeniumque eo pro viribus intendentes, hoc sui sapientissimi humanissimique consilii velut documentum posuerint, ut scilicet in quavis regnorum dominationumve suarum parte praesto essent, qui humani corporis corporisque aliorum animantium scientiam edocti conditionem inquirant; detrimenta, quae perpessi sint, investigent; pericula imminentia detegant, rationesque proferant, quibus valide et opportune obviam ire datum sit. Verum homines haud semper prospera sanitate queunt perfrui; saepissime namque obvenit, ut in illis ipsis, quae omnino in sui conservationem deberent conferre, quidquam hostilis funestissimique inveniant, quod in exitium pertrahit: quam ob rem leges habeamus necessum est, quibus saluti eorum vitaeque queat consuli; leges proinde vel maximae utilitatis amplissimique momenti, quas Medicina publica potissimum exhibet ac praestat. Quarum legum codicem nomine *medico* condecorarunt; ab illis quippe conscriptum scimus, qui animum summopere ad humanitatem proclivem gerentes sese hominis scientiarumque naturae studio tradiderunt, ac maximum utilitatis in civium bonum conditionemque publicam proferre curarunt. Quod quidem praestare non alii valent, quam qui politicae Medicinae cognitionem penitus tenent; constituere nempe ac definire: quid boni vel mali locorum ratione obveniat generi humano: quid discriminis habeatur ad aetatem, ad sexum, ad personae conditionem, ad habitum, ad ceteraque in artium

exercitatione vitaeque circumstantiis diversa plerumque atque obluctantia: quid ingerant vitae genus, mores, aër, materiesque ipsi levissimis particulis immixta, quid calor; quid lux tum solis, cum arte parata, quid electricitas, quid magnetismus, quid atmosphaericae mutationes, quid climata quid solum, quid mutationes tum naturales orbis, quum artificiales locorum; quid demum evacuationes tum continuae, quum quotidianae; quid indigentia physica et moralis; quid animae spiritusque actiones et motus. Quibus tot tantisque rebus, quoniam universarum quodammodo verum scientiam requirant, ad quam adipiscendam una reipublicae auctoritas porrigit auxilia et incitamenta, illi tantum proinde adjumentum opemque adferre possunt, qui publicae Medicinae disciplinis sedulissimam navarunt operam. Quod promeritum revera singulare non absurdum existimemus oportet, si horum vocem audiamus, quum veritatem proferunt, nuntiantes, quae causae alicujus olim fortunatissimae regionis statum in decidium ruinamque protrahant: hic proinde miseries defectusque ad victum necessariorum; illic morbi endemici atque epidemici; tum incolarum rude ingenium, quum eorum mollities ceu causae dignoscuntur regnorum et gentium excidii. Quorum lamentationes ac sententiae intelliguntur, veraque habentur, quum pericula repraesentant, quibus miserrime matres atque proles nondum nata obveniunt, incongruamque commonstrant rationem neonatos puerosque habendi, instituendique infantes atque adolescentes: idem promeritum longe maxime confirmant gentium populorumque rectores, qui quoties tueri atque fovere exoptant totius gentis valetudinem morbumque, si qui fuerit inductus, depellere, hos publicae medicinae addictos consultant; hos eosdem advocant, deque sententiis exquirunt, quoties mediate, immediateve contra morborum vim, impetumve aut periculum cives defensant; et quoties conantur in-

juriam impedire, vel poenas sumere de iis, qui civium jura violarunt, transgredientibus transgressisve leges, quae incolumitatem vitamque publicam protegunt atque tuentur.

Commonstrato, gentium nationumve bonum publica valetudine constare hanc fere semper periclitari gravi discrimine ex ipsarum naturalium rerum conditione, medicaeque artis publicae proprium esse praecepta ad sanitatem, quae opportunissima sint, dictare; nunc quoniam lauream consecuturi, de scientia, quam profitentur, adiguntur verba proferre, ego ipse, trepido tamen animo, suscipiam demonstrandum, ex publicae potissimum medicinae praeceptis, quae executioni mandemus, communem status vel reipublicae salutem profluere; neque id faciam maxima rationum momenta in medium adlaturus atque severe pertractaturus quippe vires ingenii minus hoc patiuntur, sed commoda amplissima cursim percensebo, quae ex hac disciplina in universum genus humanum provenere.

Ac primum omnium qui statum conditionemve causarum rerumque terrestrium perdiligenter animadvertat atque volutet; qui momenta agnoscat vel sapienter suspicetur, quorum impulsu numerus eodemque tempore prosperitas civium alicujus regionis minui augerique potest, qui difficultates vel maxima impedimentaque pernoscat, quibus rectores gentium et populorum, quamvis animo ingenioque pro viribus intenti, subditos valentes sanosque et servare et adaugere numero, eaque cultura, quae sit regionum et locorum ac temporum insignire non prorsus permittuntur, summum admirationis est subiturus, quum publicam medicinam, quam scientiam appellare possumus hominum, qui una in societatem coiverunt, et animantium ceterorumque omnium in ipsorum usum commoditatemque conservatricem, tantum utilitatis in hoc difficillimo argumento valuisse prae-

stare, quod ingenia laboresque politicorum in idem conversi atque dicati ex sese assequi nequivere. Neque ego hic percenseam quam maxima commoda vel potius auxilia, quae medicae statisticae ac topographiae adtulere publicae oeconomiae, quo factum est, ut tantum veritatis auctoritatisque et certitudinis earum conclusiones nactae sint, quantum numquam adsecuturae existimabantur; neque de providissimis in re politica legibus sermonem instituam, quibus imbecilles, furentes aliique hisce similibusve morbis adfecti, quoniam speciei propagatione prohibiti fuere, ne tot tantisque gravissimis equidem morborum infortuniis perpetue inficeretur genus humanum, prudentissime provisum ac cautum est: neque postremo repetam consilia atque decreta, quibus ipso humanitatis integrique moris studio, si celibatus ecclesiasticis fuerit permissus, ejus tamen detrimenta per milites in societatem obvenientia imminuta fuere et praerogativae ac favores civibus, qui in matrimonio filios suscipientes alunt diligenter atque enutriunt, singularis munificentiae consuetudine adferuntur; alia quippe me revocant argumenta quae publicae medicinae beneficia ac promerita in populos luculentissime evincunt, modumque ostendunt, quo ipsa humanae societatis finem assequi consuescit.

Haec publica medicina pium habitum, eodemque tempore severum induta uxoribus, quae ventrem ferant, ex quibusque tantum dulcedinis tantumque vitae ac decoris praeter generis propagationem ac perpetuitatem haurire viris datum est, cogitationem applicuit sedulissimam atque diligentissimam; quam ob rem equidem factum, ut multa et singularia privilegia ex legum codice tum ecclesiasticarum, tum civilium et criminalium, eisdem obtineret; objecta dimoveret quae earum oculos tum sorde quum horrore offenderent; ipsas ex virorum rudium inhumanorumve ratione vel aeque tractandi mo-

do protegeret atque tueretur; in partus discrimine auxilio et adhortamento sublevaret; ac si quae in paupertatem dejectae miseria animoque fracto agitarentur, si quae inconsulto matris solamen ac titulum praeter legem fuerint consecutae, quum tempus pariendi maximo horrore circumspectent, quod ceteris gratissimum foret, quippe natos amplexandi exoptatissimos occasio esset, ope et consilio adjuvat et defensat: postremo si quid in iisdem uxoribus reprehendendum erit de vita ac vestitu, fortiter sapienterque objurgat, atque proinde duplici vitae adjumento est, matrium nempe et natorum: haec ipsa quam diligentissime puerperium, tempus tam periculosum, suscipit dirigendum atque curandum; cujus causa vetat visum nati, si quid monstri praesetferat, injungit requiem animi, suadetque omnia removere, quae spiritum vel maxime commoveant, omniaque sequi, atque intueri quae officia erga prolem valetudinemque suam prospectent.

Et si aliquando natura adversa puerum nondum in lucem editum mater privet atque destituat, neque veniendi in lucem vires facultatemque permittat, haec beneficentissima mater publica medicina naturae vicem subit opemque ac consilium praestat, ut adversantis naturae repulsentur impedimenta, vitamque puer jam ad ultimum peractus nihilominus nanciscatur: hisce adjumentis antiqui romani amplissimos famaque et gloria praestantissimos viros suscepere Manlium, Scipionem Africanum Cajumque Caesarem, qui ex utero vix jam defunctae parentis medicinae publicae, quam praedicamus, industria atque studio, diem consecuti fuere mortalem, ut patrium decus tuerentur atque proferrent, sibique vitam gloria immortalem atque amplissimam compararent. Puero in lucem edito, facem vitae, si aliquando extincta videatur, edocet excitare, eumque debilem nimis roborat atque confirmat; quippe quae exitum vitalis humoris,

quantum ad vitam confert, impedit, exitumque noxiae partis incitat atque procurat, atmosphaericam temperiem dulcem mitemque facit, vim rerum externarum, quae neonatum molleque adhuc corpus circumdant, moderatur ac regit; cibum porrigit opportunum idque omne removet, quod praecipuum necessariumque sanguificationis elementum vel tolleret vel moraretur. Medicina publica, si aliquando matres, parum naturae vocibus adhortamentisque sese obedientes gerant, nimioque ac fallaci suae pulchritudinis studio reformident sinum liberis praebere, qui enutriantur alanturque, vicemque mulierum mercenariam exquirunt, praesto equidem est, ne id consilii in maximum puerorum detrimentum redundet; hinc nutrices, quae esse debeant, designat, eisque nutriendi modum suggerit, ne fortasse nimio vel pauco liquore ad enutriendam dato officium suum frustrentur, ac matrum culpam vel negligentiam profecto, quae ceteris natos nulla inductae justa ratione enutriendos permittunt, in adolescentium incommodum exitiumque convertant. Sed haec levissima, ubi iis conferantur, quae percensenda supersunt.

Adeamus eorum adolescentium domus, qui vulgo *trovatelli* nuncupantur, ipsasque publicae medicinae consiliis conspiciemus non miseriei mortisque sedem, sed utilissima civium collegia, qui deserti atque abjecti, ut fortuna casum daret, gravamen societatis atque obrobrium existerent. Quod si pueros invisere placet, qui parentibus orbati, una aluntur, eosdem non squallore et macie, non tumido ventre, membrisque contortis atque infirmis, non sordidos, non inertes, non ingenio ad malum proclives inveniemus, ut profecto esset, ubi publicae medicinae consiliis adjumentoque destituti in societate sejuncti vitam agitarent vel potius pertraherent, si quam trahere possent; verum contra inspicimus non deformitate inustos, non ad malum deditos, sed religionis

officia civiumque scientiam tenere, earumque artium studium prosequi quas dein majorem aetatem nacti in sui ceterorumque commodum valeant profiteri. Ac postremo quamvis privatam publicamve institutionis domum vel locum adire juvet consilium publicae medicinae efficax nobis occurrit, quae parvulum valetudine sanum, viribusque pollentem, eodemque tempore apprime excultum civilemque praestare studuit; unde cives ad omnia sive intellectus sive virium parati haberi debeant: quaevis proinde vel nimia severitate disciplinae, vel nimio labore ingenia tardarent atque impedirent, sapientissime ex praesenti adolescentium institutione removenda curavit.

Atque mea equidem sententia, quam initio propositi sermonis argumentum exhibui, illis luculentior elucescet, qui una mecum publicae Medicinae beneficia prosequantur, eamque animadvertant et locorum salubritatem, ciborumque et potus adcommodatam rationem, eaque parasse omnia, quae ad satisfaciendum nobis uti congrue feliciterque vivamus, necessaria existimantur atque habeantur: ejus proinde consilio magistratus extant, qui publicae saluti student; qui e nundinis forisve impura fruges removent, et corruptas carnes ac fructus, injuncta mulcta, projiciunt atque vendere vetant; artes si quae noxiae valetudini forent, eaeque, unde nimius strepitus oboriretur, in remotiora urbium loca amandantur; aquae e stagnis emittuntur, exsiccantur paludes, aquaeductus instituuntur; oryzae longissime, quam fieri potest, excoluntur; nemora exseruntur ac curantur peropportune, flumina effodiuntur, egressusque alicujus montis obstruitur, ne aër in subjectos incolas profluat. Quod si caritas annonae impendeat vel adsit, quae universorum quodammodo civium vitae periculum praesens minitetur ac ingerat, haec medicina naturali historia et chaemia adjuta quid ciborum edocet iis adjungendum pro necessitate, temporumque ratione, quibus cives adsueti

fuerant, uti vitam inde sustentent: verum ulterius multiplici sapientique aegrorum cultura, ciborumque ipsorum ad enutriendum equidem adcommodatorum parata commixtione ipsam enutriendi rationem atque vim vel facultatem adauget, silentiumque injungit illis, qui conqueruntur impediri, quominus cibi defectu incolarum numerus excrescat. Ejus consiliis adjutamentisque Stutgardia et Lipsia pessimae febris secessionem jure ac merito attribuunt; ejus consiliis debent, si hodie classes longissima equidem itinera incant, neque obeant infortunia quibus morborum congerie dejecta quondam Pompeji Magni classis; ejus equidem consiliis qui obsidionem sustinent, patriamque defensant, incommoda quamvis gravissima minora tamen patiuntur, quam quae veteres tum famis causa, quum morborum illuvie perpeti adigebantur; ejus additamentis, sapientiaque, doctoribus Ramazzini, Addemann multisque aliis ingenio studioque in civium bonum praestantissimis, illi qui artibus, vel ob victum sibi comparandum, vel oblectationis causa ingenium viresque applicant, apprime edocentur, quid incommodi positionis ratione, quid locorum causa, quid humiditatis impulsu, quid ipsorum metallorum conditione et calore vel nimio, particulisve metallicis obveniat, ut inde semet ab hisce incommodis, periculisve queant subtrahere, vel saltem minora detrimenta pati. Haec ipsa publica Medicina praejudicia, si quae vigent, profligat aperte atque evincit; patefacit, qui sint futuri effectus mollitiei ingeniique levis; qui oboriantur effectus occultissimi ex incontinentia; unde corporis primum et ingenii vires turpiter obteruntur; dein malorum impetu, vel insultu raptim vel sensim corruit humanum corpus: hinc medicina publica plurimorum criminum causas inspectat, omicidium, suicidium, ac plurima equidem faedissima: hinc communem vel minus prudentem veneni usum prohibet, vetatque spectacula, si quae

barbariem sapiant; in his namque omnibus Medicina publica causam, occasionemve excidii populorum et gentium jure ac merito removet.

Nobilissimum vero societatis finem apertius clariusque promovet ac nanciscitur publica Medicina, quum innumeros equidem morbos, quibus miserrime agitatur genus humanum, praeoccupare, diminuere, ac prorsus tollere adlaborat: horum ipsa revera originem, causamque summa diligentia atque perspicacia investigat, summoque consilio media suggerit, quibus immunes simus: hinc hygienis regulas et consilia proponit; aër, frequentissime mutando, in melius convertere; aegrotorum lectulos sejungere, aegrotantesque purgatioribus, quam fieri potest, vestibus induere, casuque gravissimo unum ab altero sedulissima cura adservare, idemque de illis praestare, qui opera et munere erga aegrotos funguntur; amplissima loemocomia instruere; cautionem expetere ex iis, qui peste sint suspecti, quum prohibentur ante definitum tempus cum ceteris peragere quidquam; confiniaque instituere quae *sanitaria* nuncupantur, ut morbi ex regionibus externis irruentes propulsentur, quod studium diligentiamque vel maximi momenti non secus ostentat, quum timemus, ne domestica animalia, quae homini tam sunt utilia, morbis inficiantur. vel infecta jam sint. Hujus publicae medicinae promeritum est, si epidemiae exanthematum funestissimorum, si febres gastricae, typhoideaeque totque epizooziae evanescant, quum jam in eo essent, ut proferrentur; ac quod temporum causa ab hujus adhortamentis destiterunt cives, Niceae, Gratianopoli, et Pisis petechialis morbus funestissimus prorrupit, ac Moscha brevi tempore 133299 cives desideravit, quos horrida pestis sustulit, hujus additamentis hydrophobia terrificus morbus, adhuc nescius curavi, perraro animalia impetit, et fere numquam hominem; postremo haec publi-

ca Medicina, quae inoculationem vaccinae induxit, infortunium omnium pervicacissimum ac funestissimum quasi omnino dimovit, quod praeter undecim saecula non solum stragibus exagitaret genus humanum, sed novos ingerens morbos, infirmitatibus ac deformatis plerumque membris plurimos, qui superessent obsignare consuevit.

Verum cuique mei animi sententia de publica medicina, hujusque sermonis argumentum quam facillime ac ulterius in aperto erunt, consideranti, quae ejus fuerant consilia tum humanitatis, quum providentiae in eorum levamen, qui graviori afflictantur fortuna moerore et tristitia, quippe vitam agitent miserrimam in vinculis, hospitiis publicis, tuguriisque quavis destituti melioris sortis conditionisve spe nisi haec scientia illis adjumento et consilio adesset. Ne quis tamen miretur, si medicina illis quoque auxilium paret, qui societatis leges atque officia transgressi publico decreto in vinculis suorum criminum exsolvunt poenas: hi namque, primum omnium inquirendum foret, quo remoto impulsu et excitamento ad violandum civium jura perducti, fuere? in primordiis quippe aliquid commiseratio ne dignum et culpa ex parte vacuum posset inveniri; dein pensitandum, poenas summi non in vindictam, sed in delinquentium emendationem, atque in exemplum ceteris, ne eadem via grassentur; postremo hoc quoque animadvertendum, poenas nempe tunc temporis, quum duritiei ratione praefinitas, et quod ulterius foret, contra ipsarum legum consilium et decretum exstiturum: quam ob rem quidquid poenarum eximeretur tum locorum sorditate, quum habendi tractandive negligentia, quibus miserorum valetudo corrumpitur, vita fit brevior graviorque inusta poena, id omne scelus, et tyrannidem saperet, injustumque foret existimandum, evenire proinde posset, ut aliqui morte non debitam luerent poenam, ac

dein societas eorum auxiliis, si quae ingenio, viribusque praestare scirent, turpiter privaretur; et ut quam plurimi jus civitatis, libertatisque iterum nacti, vel odio quod conceperint in danda poena, vel miseriis tum ingenii, quum virium suarum in civium jura acriores existerent; quippe partim necessitate quadam atque desperato animo agerentur, partim quadam et ipsi fungi justitia in suos jactitarent. Quod quam longissime contra accidit, si integri valetudine ferrentur, si poena in emendationem tantum necessaria eximatur, atque proinde ipsis manifestum sit, leges delinquentem punire, eumque qui civem se gerere sciat, quamvis deliquerit, defuncta poena, laeto animo amplexari, et in pristinam fidem commendare, atque tueri. Hinc horror carcerum, luctus, miseriaeque; hinc mala consilia et crimina, nisi prorsus evanescant, minora tamen fiunt, minusque faeditatis animi perferunt. Haec eadem publica medicina auctrix fuit, quae publica hospitia sive nosocomia in pauperum refugium instituenda aperiendaque curaret; edocuit scilicet mortales, quiqui sint vel ditissimi vel antiquissimo genere amplissimi et honestissimi, cum pauperibus tamen jure et conditione obstringi; hos proinde, qui malorum morborumve vi et insultu jactitentur, humaniter ac diligenter ad hospitium accipiendos, miseriis suis sublevandos, in valetudinem pro viribus restituendos; hisce namque ad ultimum faedus, ut dicam, humanum constitui, totiusque humanae felicitatis ceu fundamentum vel solum: qui enim in parva re degunt, industria atque labore et suam et ceterorum rem promovent; et quod in parvis, levi fortuna in miseriam probabuntur, ac divitum auxilio et commiseratione indigent. Sed primum quommodo hi in hospitium auxiliumve accipiebantur, si nosocomia morborum sedes ac mortis, inertia negligentiaque esse videbantur? hinc fiebat ut vel miseri aufugerent, vel si qui fato aut necessitate ad-

ducerentur suam vel aliorum plurimorum mortem, semperque faedissimam habendi rationem experti, foris exemplo essent, ne quis auxilia haec sibi exoptaret. Hisce omnibus publica medicina perhumanissime sapientissimeque occurrit; atque hac domus privatarum comitatem indutae et loci oppurtunitate, et cubiculorum adcommodata ratione, et eorum qui munere in aegrotos funguntur, cura et officiis animum miseriis faciunt, qui undequaque salutis curandae causa adferuntur, ac medicorum industria scientiaque recreantur, et in patriam, qui valetudinis capaces sint, sani laetique remittuntur. Quod si quis quamvis pauper, vel animo natos suos custodiendi, vel ipso familiae cujusvis patriaeque studio haud passus sit nosocomia in urbibus petere, vitamque suam in gravi discrimine ad natale tugurium pertrahat, huic quoque suam confert opem publica medicina: eos etenim ibi per viros hujus scientiae peritissimos curare studet, atque medicamina gratuito exhibere, quae necessaria existimentur.

Ac postremo finem sermoni meo impositurus, quid memorem publicae medicinae consilia vel decreta, quibus societates institutae fuerunt, ad auxilium illis deferendum; qui fato suo vel infortunio in mare mergerentur? Hinc Hollandiae, Londini, Parisiorum, atque Venetiarum gloria et promeritum, quae innumeros brevi tempore vita fere destitutos nova vita donarunt, humanoque consortio continuarunt. Quid mentionem faciam praemiorum et incitamentorum perillustrium, quibus publicae medicinae adhortamento efficiuntur atque condecorantur, qui vitam e quovis periculo sive incendii, sive aquarum discriminisve cujuscumque modi alicui fuerint tutati? Haec jam omnibus manifesta inhaerent, publicaeque medicinae promeritum quam amplissimum dignoscitur. Quid memorem praeterea leges hac ipsa suadente perlatas, quibus cautum, ne qui demortui

sunt, ante praefinitum tempus efferantur atque queant sepelliri? inde periculum est sublatum adhuc vitali spiritu fruentes sepellire ac morte damnare. Quid percenseam decreta et consilia, quae sepulcra amoverunt morborumque causam quam frequentissimam sustulere? hinc quoque factum, ut haec alio delata, eadem nos invisentes, quum nimia consuetudine parvi ante quodammodo faciebamus, majoris et maximi facturi lacrymas parentibus conjunctisque sive sanguine, sive necessitudine demus quam amplissimas, maximumque defunctorum desiderium et pietatem subeamus; quae res dum primo ad sanitatem prospectarunt, plurimum dein moralis utilitatis dulcedinisque adtulerunt et fovent: hinc qui vivunt, conjuncti cum illis, qui decesserunt, sanctissimo remanent studio. Quod si haec publica medicina tot tantaque praestat, non ne jure ac merito eam omnium scientiarum longe maximam atque excellentissimam praedicam? ceterae quippe scientiae verum quidem utilitatemque perquirunt, sed una ac singulari via procedunt, ut demum in bonum generis humani redundent: haec scientiarum omnium auxilia amplectens, quid in aëre, quid in terris, quid in hominum ingenio aegestatibusve est, in unum congerit ut quid juris, quid boni, quid commodi parare possimus, id omne nanciscamur, vitamque dulciorem, quam fieri potest, agentes maximum utilitatis, felicitatisque exhauriamus. Quam ob rem Medicinam ego publicam singulari appellatione condonarem, quippe quae maximum amplissimumque civium commodum procuret, eam scientiam nuncuparem humanitatis, humanissimosque, qui huic addicti, quovis modo ingenium ac vires, fortunasve et auctoritetem vel applicant vel applicaverunt.

THESES DEFENDENDAE.

I. Non minores ac Medici Clinici Politici utilitatis sunt.

II. Corpus humanum se ipsum destruit.

III. In peste petechiae latae, discretae, nigrae mox initio conspicuae lethales; quae serius apparent, vix non quoque sunt exitiales.

IV. Nitras Lixivae nunquam, nisi substantiarum organicarum praesentia adsit, formatur.

V. Curationes morborum omnes theoreticae sunt.

VI. Syphilis constitutionalis etsi remediis sic dictis specificis tractata, vix unquam sanatur, sed tantum pro tempore silet.

VII. Si Praxis medica majorem perfectionem acquirere potest, haec in pathologica Anatome praecipue sistit.

474